

uent: sed multò magis sunt impressæ  
à natura imagines admirandæ. ex vna  
enim parte lapillus, in latus sinistrum  
versus, duas refert facies, & tertiæ ve-  
luti vmbra: primam monacho simi-  
lem cum cucullo, alteram viro gran-  
di imberbi, tertia vt vmbra nō cogno-  
scitur. Versus in latus dexterum, vnā  
tantum faciem habet priori non dissi-  
mitem, quæ cucullata est: quâ vultum  
conuertit, ea pars lapilli pellucet in-  
star lunæ gibbōsæ, seu (vt Lactantius)  
concauæ, quæ Græcis ἀμφίκυρτος di-  
citur. Curavi autem includendum e-  
iusmodi fundæ, quæ in annuli supre-  
mo inuerti potest, ita vt vtrinque confi-  
derari possint insculptæ naturæ artifi-  
cio imagines. Geor. Agricolæ descri-  
ptio, in lib. 5. fossilium editionis po-  
sterioris, paulò est alia. Verùm & ipsa  
conuerso alijs modis lapillo, à vero a-  
liena planè non appâret. Hanc in exi-  
guo corpore varietatem, nullus arti-  
fex satis expresserit. Hæc ille.